IN FUNERE FABRICII ANTONII SALERNI PATRICII CONSENTINI MELPHICTENSIUM PONTIFICIS ORATIO...

Giovanni Vista



IN FUNERE

FABRICII ANTONII SALERNI

PATRICII CONSENTINI

Melphictensium Pontificis

ORATIO

Habita in Majore Templo Urbis Melphicti
pridie Kalendas Maii anni 1754.

A FRATRE

JOHANNE VISTA

MELPHICTENSI

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI

In Regio Altimuri Gymnasio Sacræ Theologiæ Professore.



NEAPOLI MDCCLIV.

Ex Typographia Simoniana

Superiorum permissu.

MARCHIONI
NICOLAO SALERNO
PATRICIO CONSENTINO.

AGNELLUS AVITABILIS
S. P. D.



Vum Oratio habita in funere FABRICII SALERNI *Fratris tui Melfictensium Episcopi a præclarissimo Viro* F. JOHANNE VISTA, *in manus forte incidisset; eamque tum Authoris, tum Defuncti percelebri fama ductus, avide perlegissem, atque eorumdem opinioni, ac meritis parem invenissem, continuo mecum ipse typis edendam statui. Indignum enim putabam, pientissimi, optimique Episcopi laudes, quæ ceteris exemplo, atque æmulationi esse possint, non usquequaque, ad aliorum studia excitanda, atque promovenda publicæ admirationi propositas, notas fieri. Hujusmodi vero consilio Authoris cumprimis obstitit voluntas, qui (qua est animi mo-*

 destia,

destia, doctrinaque præditus) sibi veluti diffidens, opus bidui spatio, tumultuario labore confectum, publici juris fieri, constantissime renuebat. Sed vicit tandem come alioquin hominis ingenium, erga Defunctum amor, & pietas, atque amicorum, præsertim PETRI LEPORIS, *cujus acre judicium, ac doctrinam minime vulgarem semper is plurimi fecit, aliorumque gravissimorum Virorum Authoritas, quibus vel famæ suæ dispendio, si ita res tulisset, lubentissime se morem gesturum ultro fassus est.*

Tantum vero abest, ut nominis inde sui jacturam aliquam faciat, ut maximam doctrinæ, atque eloquentiæ famam apud peritos harum rerum æstimatores procul dubio consequatur; tot enim sapientiæ, atque ingenii luminibus distincta ornataque Oratio est, ut robustioris in ea Eloquentiæ partum justi, ac legitimi temporis, non abortivum bidui fœtum agnoscas. Omitto, quod caput est, summam judicii, prudentiæque vim in seligendis fratris tui laudibus; haut enim steriles quasdam, ac prorsus inanes, quod inepti solent laudatores, sed eas tantummodo efferendas, atque extollendas suscipit, quæ veræ, ac germanæ sunt Episcoporum Virtutes: egregiam nimirum animi charitatem, benignam in egenos li-

be-

beralitatem , probæ Clericorum educationis , sanioriſque doctrinæ curam , Gregiſque adeo ſibi concrediti pacis, atque concordiæ procurandæ ſtudium . In hæc ille toto pectore incubuerat præcipua Epiſcoporum munia, quæ ſi eodem gradu, ac dignitate ceteris æque cordi eſſent, præclariſſime cum noſtris hominibus ageretur ; nec tam crebro peſſimo exemplo per ſummum dedecus vexari ab iis , ac perturbari civitates videremus, quorum ope , conſilio , pietate , authoritate ſervari quammaxime, ac beatas effici oporteret. Habuit nimirum ille præter indolis bonitatem, domeſticum, in quod perpetuo intueretur, exemplum JOHANNIS BAPTISTÆ *Cardinalis Germani fratris ſui, cujus eximias virtutes recenti adhuc earum memoria animis hominum inſitas , nihil attinet commemorare ; nec umquam oblivioni traditum iri puto egregia ſummi viri merita, quæ, ut nihil aliud dicam, tanti apud* CLEM. XI. *fuere , ut in oculis eum fere ſemper habuerit ; quo argumento, qui recte de* CLEM. XI. *ſentiat, nullum certe præclarius, aut illuſtrius requiret. Haut vereor* NICOLAE SALERNE , *ne talium Fratrum commemoratione dolorem animi tui refricem , ac renovem. Non tu unus multorum es , qui naturæ parere , ejuſque neceſſitatem , cum devitari*

nequeat, mitius, ac viriliter ferre nescias. Quod si qua es in tuos animi pietate, secus tamen accidat; obversentur tibi quoque ante oculos necesse est eorum laus, ac merita, quorum fructus amplissimus ad te nunc unum pertinet: qua in cogitatione facile conquiesces. Fruere igitur egregie ab iis factorum memoria; & qui ea pro dignitate extolleret, disertum Virum inventum esse lætare, cujus Orationem luculentissimam tibi ut inscriberem, cui optimo jure debebatur, haut diu sane mihi deliberandum fuit. Qua in re, una eademque opera, cum publico bono me consuluisse video, tum & illud assequor, quod jamdudum exoptaveram, ut meæ in te observantiæ testimonium aliquod ederem. Vale.

JOSEPHO CAROLO

A U R O R Æ

Jurisconsulto, Melphictensis Cleri Archipresbytero, & Vicario Capitulari spectatissimo.

FR. JOHANNES VISTA

S. P. D.



Ecit auctoritas tua, quæ plurimum apud me valet, Præstantissime Aurora, fecit & benevolentia in me singularis, ut quamquam invitus, & reluctans, ac morbo multiplici, diuturnoque vexatus, vixque mei compos, datoque ad me parandum perexiguo bidui spatio, in publicum tandem prodirem, & ex veteri consuetudine Pontifici vestro nuper mortuo parentarem. Facit modo auctoritas eadem, ac benevolentia, ut quam in tanta animi, atque corporis ægritudine, ac tantulo spatio informavi, & pridie Kalendas Maii apud Te, nostrosque homines habui Orationem, eam e manibus meis extorqueri patiar, tuoque arbitrio, fideique committam. Hanc enim ego, Vir Præstantissime, ut verum fatear, tenebris damnatam cupio plusquam Cimmeriis, tum quod nemo me accuratius intelligit, quam nullius sit pretii, tum quod eidem rursus manum admovere, atque ad normam justæ artis exigere, nec valetudinis, in pejus hoc sub cælo ruentis, ratio patitur, nec

negotiorum, queis pene obruor, moles, nec munus denique, quo hic præpedior, ullo modo prorsus sinit. Sed quando ita jubes, qui parere necesse habeo, mitto eam tibi confestim, ac talem penitus mitto, qualem primus ille impetus, ac verus doloris sensus, ob fatalem Civitati nostræ tanti Pontificis mortem, expressit. Ea tamen lege mitto, atque in sinum tuum confugere patior, ut neque typis detur (qua re & male famæ meæ consuleres, & magnopere commoverer) neque cum alio quam cum carissimo Defuncti Fratre, quod sanctissime es pollicitus, communicetur: Vnus enim ille qui, ut accepi, majorum gloriam meritis exæquat, ingentique instructu virtutum omnium Fratrem refert, habebit profecto in Oratione nostra, quod in solatium adhibere queat: nempe non fucum Rhetorum, atque pigmenta, a quibus ego rebus, & quod ita natura sum comparatus, & quod alio in pulvere versor, semper abhorrui; sed masculam in veris virtutibus enarrandis libertatem, eamque videbit dulcissimi Fratris imaginem, quam & vidit semper, dum ille viveret, & vidisset in longam ætatem bonus quisque, si vel Nestoris annos ille vivere potuisset. Vale Vir eximie, & me, uti facis, amare perge.

Dabam Altimuri Nonis Maii 1754.

O R A T I O.

I quantum hæc dies funebri ſpecie, ſordibuſque fœdata, ſi quantum hæc lux acerbiſſimo caſu, quem ſeptimum jam diem lugetis, contaminata, doloris, ac mœſtitiæ animis omnium affert, atque offundit, tantam mihi dicendi copiam, tam aptum Orationis genus ſuppeditaret, ut & jacturam tantam pro rei magnitudine vobiſcum deplorare, & dolorem Civitatis longe atrociſſimum aliqua ſaltem ex parte lenire poſſem; ferrem libenter, Cives Ampliſſimi, hoc parentandi onus meis potiſſimum humeris impoſitum; neque hujus aditum loci, veſtramque frequentiam, tantæque dolentium, ejulantium, ac paventium turbæ conſpectum, mihi magnopere gravem, ac prope metuendum exiſtimarem. Sed forte ita accidit, ut idem ego qui, ut noſtis omnes, numquam non latebras potius, ac ſolitudinem quæſierim, quam publicam lucem, hominumque judicia ſuſtinere exoptaverim; in tanta ac tam publica calamitate, quaſi e latibulis meis ad dicendum pertractus, dum minime omnium tam triſti nuncio perterrefactus videri queam, quoniam præ omnibus ad juſta ſolvenda immortali Pontifici accedere auſus ſum; præ omnibus tamen nedum ad dicendum, ſed & ad dolendum ineptus præ nimio dolore jam factus ſim. Sic enim exiſtimate, magis hodierno die ad funeris formam, & celebritatem valere atratum hunc parie-

tum ſqualorem, triſte hoc veſtrum omnium ſilentium, lugubre, ac lamentabile Eccleſiaſtici Ordinis ſpectaculum, publicum denique hoc velut Vrbis juſtitium, quam Orationem quamlibet, non noſtram modo, quæ nulla eſſe poteſt; ſed cujuſvis etiam vel diſertiſſimi, & in dicendo exercitatiſſimi. Satis namque iſta nos admonent, quid ſeptimo abhinc die amiſerimus, & quantam jactura tanta afflictis, ac prope perditis rebus noſtris cladem intulerit. Amiſimus enim, proh dolor! FABRICIUM ANTONIUM, ſanctiſſimum Civitatis hujus Epiſcopum, ac Moderatorem. Amiſerunt ergo Cives Paſtorem, miſeri ſolatium, oppreſſi patronum, pauperes, orphani, viduæ, pupilli parentem, boni exemplar, mali terrorem, Urbs decorem, Religio Interpretem, Sacra Pontificem. Itane vero in tali tantaque jactura, quam ne ferrei quidem animi homo ſine lacrymis exceperit, unus ego funeri aſſidens, veſtrum omnium enarrare dolorem, eumque luctum, qui ad omnes pertinet, ſolus expromere Oratione mea ſuſtineam? Sed quando ita jubeor ab iis, quorum ab nutu diſcedere eſt nefas, ſuſtinete me, Cives, tanto dolori, ſuſtinete me tanto oneri imparem; mecumque hoc in loco eodem animi ſenſu ac pietate, & quem virum amiſerimus, & quam importuno tempore, & quanti hæc ſit momenti jactura, ſerio cogitate. Neque a me vero luculentum aliquid ad funeris pompam, aut Orationis nitorem, & ubertatem, aut aſſentationis formam expectetis velim; ſed ea, quæſo, expectate, quæ a mœſto turbatoque animo, ac penitus fracto, in tanto, ac tam publico, tamque recenti vulnere, tam brevi tem-

po-

pore præſtari poterant.

Hunc ergo Epiſcopum amiſimus, Cives, hunc nobis Epiſcopum, ſeptimus jam dies eſt, mors dira præripuit. O diem doloris plenam, & luctus! O mortem nulla ſatis lacrymarum profuſione lugendam! Eum videlicet fata nobis tandem eripuerunt Epiſcopum, qui eximiis fortunæ bonis præter vulgi ſortem inſtructus, qui ſtirpe ortus nobili admodum, ac generoſa, ſi vel hoc uno nomine laudandus foret, ſatis amplam, ac luculentam Orationi materiam ſubminiſtraret. Porro earum rerum, quas mortales (ſi ſobrie ac moderate uſurpentur, & ſuis momentis æſtimentur) merito magni faciunt, generis claritatem, egregia ac memoranda Majorum facinora, unde illa claritas tamquam ab uberrimo fonte profluxit, divitiarum denique affluentiam, atque arridentis Fortunæ benignitatem; earum, inquam, rerum Fabricius noſter (cujus mihi vel dulce nomen lacrymas elicit) tantam potuiſſet natam ſibi domi copiam oſtentare, & Virorum belli ac pacis artibus clariſſimorum, qui & Patriæ, ac Regni hujus florentiſſimi dignitatem auxerunt togati, & jura, ac libertatem aſſeruerunt armati, ut ſi omnium utriuſque Ordinis nomina, ac geſta recenſere vellem, quaſdam quaſi juſtas acies explicarem, quaſi Stellas quaſdam, & lumina Cœli, ac generis Conſentini. At ne his immoremur, Cives, neque enim omnia dicere tam brevi tempore, atque in tanta animorum perturbatione poſſumus, nec præterire debemus omnia. Mittamus libenter, quæ ille, dum viveret, contemſit ſemper, ac pro nihilo habuit; Fabricio honorem, non Stemmati, homini honorem, non ge-

neri, moribus, non majoribus ejus, virtuti perſpectæ, ac prope divinæ, non auditæ nobilitati deferamus. Quippe ſi recte æſtimemus, Hercules illi, aut Macedones, & quidquid ubique vel Heroum fabulatur antiquitas, vel Clariſſimorum Virorum, atque Imperatorum commendant Hiſtoriæ, non tam nobilitatis titulo, quam miris facinoribus, & monumentis rerum ingentium Orbe repleto ad immortalitatem pervenere. Epiſcopum vos primum accepiſtis, noſtiſque Fabricium, Epiſcopus diu vobiſcum vixit Fabricius, Epiſcopum tandem, o fata fera! o diem atrum! amiſiſtis Fabricium. Atque eum plane Epiſcopum, qualem Doctor ille gentium Paullus in ſuis ad Timotheum, ac Titum literis flagitabat Epiſcopum; qui ita virtutes omnes animo complexus eſt, ut majores, & forte etiam pares ab homine nato vel ſero expectetis, vel fruſtra deſideretis. Has dum ego vobiſcum, Cives, percurro, magno me onere, & ab omni aſſentationis ſuſpicione liberatum intelligo; nam & ea dicam, quæ commemorare ſatius fuerit, quam exornare, & ea ſane commemorabo, quorum & vos ipſos habeo teſtes locupletiſſimos, & Pontifex ipſe, ſi adhuc viveret, ac præſens audiret, quamvis modeſtiſſimus, abnuere minime poſſet.

Ac primo quidem etſi magnificentius eſt dicere, quemadmodum geſſerit Epiſcopatum Fabricius, quam quemadmodum cœperit, ita tamen cœpit, quod vos meminiſſe non dubito, nihil ut ſibi dignitatis tantæ, ad quam fuit evectus, vindicare umquam poſſint aut caſus cœci, & fortuiti rerum humanarum, aut gratia cujuſquam, aut ambitio, aut cupiditas, aut aliud quidpiam eorum, queis identi-

dem

dem ad maximos honores, vel immerentes, & perditi etiam quandoque homines extolluntur. Scilicet ita Romæ vixit annos ferme duodecim, ea excelsi, nobilis, ac pientissimi animi specimina edidit (quæ & ipse memini a multis, cum in beatissimo illo orbis Terrarum theatro, ac Sapientiæ omnis domicilio viverem, jucundissime commemorari) ea, inquam, edidit specimina, ut gravitate, ac dignitate oris, morum elegantia, civilique convictu Majores referret, pietate vero, modestia, labore, industria, Eminentissimum Fratrem Presbyterum Cardinalem, vere firmissimum Ecclesiæ Cardinem, vere Societatis Jesu, innumeris, ac maximis splendoribus coruscantis eximium lumen, ac fulgentissimum. Cujus divinas propemodum laudes, præter illustre Caroli VI. Imperatoris Maximi testimonium, qui ob ingentia in se viri merita Salernæam domum familiari Stemmate cohonestare dignatus est; veracissime etiam complexa est illa ejus tumulo apposita epigraphe: *Quod de Principibus, de Sancta Sede, de Catholica Ecclesia bene sit meritus*. Quæ tum secum reputans acerrimi Vir ingenii, atque judicii, ingeniorum, ac morum æstimator perspicacissimus, Maximus Pontificum Clemens XI. magna quæque de Fabricio auguratus, eum lubentissimo animo in Pontificum Collegium cooptavit. Atque ita cooptavit, ut non tam eum de Infulis crescere, quam per eum Infulis, & Sacerdotio decus atque ornamentum, nec mediocre præsidium accedere arbitraretur. Pervagata sunt hæc, o Cives, atque omnibus nota, sed multo sunt notiora, & non in animis modo vestris, sed in oculis omnium pene infixa, quæ ille in Sparta

ta isthac ornanda, & concredito sibi grege pascendo, sovendo, tuendo, gessit abunde. Vix namque inito Pontificatu, nihil antiquius habuisse est visus, quam ut vel prope ruentem fulciret, vel collapsam instauraret morum disciplinam. Quam sane rem per tot annos, quibus inter vos versatus est, qua Sacris Concionibus habendis, qua corruptelis profligandis, qua piis omne genus actionibus, atque operibus, incredibili labore, ac patientia, mira animi fortitudine atque constantia, se continenter in exemplum proposito, partim feliciter est consecutus, & ad extremum usque spiritum, ut cumulatissime consequeretur, procurare non desiit. Probe enim intelligebat Vir Sanctissimus, frustra admodum verba jactari, ubi desint exempla; fortius facere, quam dicere Ducis esse; debere eum, qui cæteris mortalibus dignitate præsit, virtute etiam iis atque exemplo præire. Hinc virtutes in Fabricio, tamquam in optimo ac fertili agro, eodemque bene, ac diligenter exculto & subacto, numquam aliæ aliis succrescere, aliæ ex aliis jugiter progigni, atque propagari desierunt. O Virum vere Apostolicum! O viri mortem vere funestam, ac lacrymabilem! Vos hic, ego compello, o Cives, qui eum paullo familiarius ac penitius nostis, quique cum eo diutius in hac Vrbe vixistis: jam me enim vox, jam animus nihilo voce ac valetudine firmior, tum in dolore tanto, tum in tanta rerum copia & ubertate deficit: Vos, inquam, compello. Vniversam ejus vitæ rationem ante oculos vobis proponite, animisque vestris reputate; sicque vel me tacente, statuetis, talem se continenti, ac perpetuo vitæ teno-

nore gessisse Fabricium, ut nedum veteres illos Fabricios pietate, ac fide superarit; sed alio atque alio tempore, alia atque alia virtute magnos illos Deoque caros, deque humano genere optime meritos, Athanasium, Basilium, Hieronymum, Augustinum, Anselmum repræsentarit. Nam, Deum immortalem! quanta in illo rerum divinarum contemplatio! quam sincera in Deum, & constans pietas! quanta in prosperis moderatio, in adversis constantia! quantus veræ, solidæque, non fictæ, ac fucatæ virtutis amor! quanta in probos, sed sine dignitatis dispendio humanitas! quanta in improbos, sed sine acerbitate, nec sine miseratione, atque humanitate severitas! quanta in miseros atque egenos, quamque effusa benignitas! quantus earum rerum contemtus, quas vulgus hominum putat amplissimas! quantus in Dei & Ecclesiæ juribus, in pauperum, orborum, pupillorum caussa tuenda ardor, ac vis! Porro nonne omni studio, atque industria divinum illud Episcoporum exemplar Paullum Apostolum sibi proposuisse ad imitandum, vereque expressisse dicendus est, qui pro re nata factus est omnibus omnia? Atque hunc tamen ipsum, qui sibi certe satis, tempori vix satis vixit, nobis vero, o nos miseros atque perditos! etsi per annorum centurias aliquot vixisset, ne vix quidem; hunc, inquam, ipsum vos & paullo ante vidistis exanimem, ejusque hodie funus tam lamentabili specie renovatis.

Fingite jam, rogo, fingite nunc vobis animo, Episcopum nostrum, qualem audistis, qualemque ipsi multo propius conspexistis, jamdiu in longinquas o-

ras,

ras, aut valetudinis gratia, aut quietis cupidum se recepisse, paratum tamen Urbis ac gregis utilitati semper adesse; sed inopinantibus vobis importuno fato fuisse sublatum. Qui vobis, obsecro, animi sensus? qui mœror? quæ perturbatio in tanta jactura? Videre mihi videor dolere alios, mixtisque sermonibus lugere obitum Viri de re nostra publica optime meriti: laudare alios egregias ejusdem res gestas, exantlatos labores, & derivatos indidem in Civitatem hanc nostram uberrimos fructus: optare alios, ut suscitet Deus similem virum, qui attritis, ac prope perditis rebus nostris mature succurrat: alios alia vel cogitare, vel commendare, vel metuere, vel flagitare. Id mihi videre videor, Cives, nec mea me, si recte sentio, fallit opinio. Ita enim facti, comparatique sumus, ut quos publicæ utilitati, ac securitati maxime idoneos, atque accommodatos videmus, iisdem profecto perpetuam incolumitatem cupiamus, atque adprecemur. At in hoc tamen loco ubi ejus Viri, quem modo, proh dolor! amisimus, oculis obversatur vestris, tam lacrymabilis species, dum vos intueor, Cives, nihil penitus animadverto, præter altissimum hocce silentium, summi doloris vestri, & quasi abalienatæ mentis indicium certissimum. Idque ut contingat, nec miror admodum, nec sane quæsierim, contingat enim necesse est. Ejus namque, renovato nunc funere, mortem defletis, quem non ita pridem aut a vobis dimissum, aut in honesto otio conquiescentem mortuum esse audieritis; sed quem ipsi vos, post navatam ab eo strenue, fideliter, feliciter, universo gregi, & Christi Ecclesiæ operam, post partam ingen-

tem

tem gloriam, post injectum omnibus æternum sui desiderium, post toleratam semper incredibili patientia adversam, qua identidem tentabatur, valetudinem, senio laboribusque confectum, & morbo multiplici conflictatum, post exceptam denique quasi paullatim ad se venientem, hilari, ac tranquillo animo mortem, decedere aspexistis, & cujus novissimum pene spiritum tristes, collacrymantesque ore vestro excepistis. Sperabatis fore, quod non frustra alias sperastis, ut Civitatis hujus misertus Deus, eum sineret aliquando e tot malis emergere, e quibus nunc tandem vitam cum morte commutans emersit. O jacturam intolerabilem! O tempora nobis iniqua! O fata fera! Scilicet eo deveni, ubi cogor tamquam scopulo adhærescere, vestrumque mihi silentium potius, Cives egregii, quam dicendi facultas optanda est. Qui enim temperem dolori tanto? Mene hoc tempore, Fabrici sanctissime, laudes tuas dicendo persequi? Mene, Cives, laudatione hac funebri luctum vestrum, lacrymasque compescere? Non deerunt memoriæ tuæ laudatores Fabrici, donec pietati stabit, ac virtuti honos, eoque plures erunt, quod eos, dum viveres, pati non poteras. Luctum vero vestrum qui cohibeam, Cives, qui vix meum compesco, dum justa persolvam? Non laudibus, quæ deerunt numquam, sed lacrymis omnium dignus est mortuus, qui vivus omnium lacrymas abstergebat. Lugete Virgines, lugete Viduæ, pauperes, orbi, pupilli, pueri, senes, omnis ordinis homines, sine intermissione lugete. Nedum enim quæ tota vita gessit Fabricius præclara illa quidem omnia, ac posterorum memoria, & commendatione dignissima;

sed

ſed parietes quoque ipſi ſanctiſſimæ, quam incoluit domus, quamque ille diuturna mora, dum viveret, non jam ut privatam incolere, ſed ſacrarium quoddam Vrbis, atque Palladium conſtituiſſe viſus eſt, ſanctimonia, pietate, juſtitia, virtutum omnium choro tamquam fortiſſimo quodam propugnaculo munitum, atque vallatum: parietes, inquam, ipſi domus ſanctiſſimæ, quaſi Cœlo repente tacti, & ſqualore tanto, ac ſolitudine deformati, luctus, triſtitiæ, lacrymarum, dum Cadaver efferretis, vos admonebant; & quoties eo oculos convertetis, muto quodam gemitu, & inanima quadam voce, non ſine quodam pietatis, ac doloris ſenſu perſtrepente, aureſque veſtras, & animos percellente, lacrymarum, triſtitiæ, & luctus vos admonebunt.

Quod ſi laudibus tanti Viri enarrandis luctum ſedari veſtrum, purgari ſordes, lacrymas abſtergi poſſe putaviſtis, non iſta fuerat ducendi funeris ratio, o Cives, quam ab unius oratione hominis per ſeſe infirmiſſimi, & tam lugubri ſpecie præſentium malorum, metuque impendentium ſtupefacti, & attoniti, ac prope enecti, pendere voluiſtis: ſed illa potius ſuſcipienda, quæ ab Romanorum Veteribus, iiſdemque ſapientiſſimis, in funeribus magnorum virorum, tum ad eorum, qui aderant ſolatium, atque imitationem, tum ad poſterorum quoque memoriam, atque exemplum eſt inſtituta. Quam ſi ſuſcepiſſetis, tabulis hic ſaltem docta manu, ac penicillo elaboratis, ac multiplici jucundoque formarum apparatu inſtructis, propter funus apparerent omnia, & ſub unum quaſi omnium intuitum caderent, atque ſplendeſcerent, quæ tota vita ad multorum invidiam,

ad

ad omnium imitationem gessit Fabricius. Appareret, qua ille cura, quo labore, qua solertia, qua munificentia egit, dum omnium primus Seminarium istud instituit; unde sibi potissimum, nomine ipso admonitus, surculos illos esse sumendos intelligebat, qui in omnem Diœceseos agrum pro temporum necessitate transferrentur: dum rebus omnibus necessariis, & reditibus opimis instruxit: dum optimis munivit & institutis & legibus: dum in oculis semper, ac fere in sinu gestavit: dum per temporum denique conditionem sibi subtractum, alienæ fidei curæque concreditum, ita respexit tamen, ut & adamaverit semper, & omnia se ejus caussa velle satis præsetulerit, & quasi abstracta a se viscera atque discerpta, patientissime tolerarit. Intelligo, Cives, quam in lubrico, ac difficili loco verser; sed illud etiam intelligitis omnes, ita se demum in tanta temporum iniquitate gessisse Fabricium, ut animum ejus invictum, & in una recte factorum conscientia conquiescentem, non secus ac maximi illius Fabii, nec aliorum falsa gloria, nec sua falsa infamia movere potuerit. Apparerent, quæ jam ille olim in Diœcesana cogenda Synodo ad morum emendationem, rectiusque vitæ institutum promovendum, & labore aggressus est plusquam Herculeo, & constantia persecutus heroica, & patientia passus vere Apostolica. Appareret, quibus animi angoribus atque molestiis, quibus periculis atque ærumnis, cui valetudinis ac rei familiaris detrimento se pro Ecclesiæ juribus, atque immunitate tuenda non semel objecerit. Apparerent, quæ in sacris ornandis Ædibus, sacraque supellectili splendidissime augenda,

tum

tum principe hoc, ubi nunc miseri ejus mortem deflemus, nec satis tamen adhuc deflemus, Templo; Templo, inquam, hoc instaurando, muniendo, ornando, eximia egit munificentia. Apparerent Cives vestri aliquot ab Infidelium servitute & jugo, ejus ære redemti, & Patriæ, domibus, liberis, conjugibus restituti. Appareret, quo ille in vos amore ac benevolentia, ut vobiscum perpetuo viveret, vobisque unis prodesset, Consentinam Insulam detrectarit. Agmina denique apparerent; nam quis omnia complecti dicendo queat? apparerent agmina pauperum, pupillorum, orborum, egenorum omnis generis, ætatis, sexus, tam certo ac præsenti subsidio ad vitam honestatemque tuendam, quam multiplici ac prope incredibili, eo vivente, vero pauperum patre, subnixa, & fulcita, eo nunc mortuo, o mortem lacrymabilem, quam vel ipse hic dies tristi plurimorum experimento testatam facit! misere destituta. Hæc simul apparerent omnia, ac reliquæ subinde ordine virtutes, quarum vix unam vel e minimis Pastori vestro defuisse cognostis, symbolis ac tesseris expressæ suis, eum jam Cœlo receptum significantes, & non tam quid nos amiserimus, quam quid ille acquisierit admonentes, ægritudinem tantam ac luctum maxima ex parte averruncarent. Sed forte ita nunc accidit, & merito quidem accidit, ut ejus quasi obliti, qui nos perpetuo coluit atque adamavit, quasi ingrati & beneficiorum immemores, rerum dumtaxat nostrarum anxii, & solliciti, & quantum præsidii in tanti Viri obitu amiserimus, unice reputantes, mirum in modum excruciemur: utque me eadem ipsa hæc dum animum

sub-

ſubeunt, præ mœrore conficiunt, ita vobis quibus multo ſunt notiora, eorum memoria quaſi vulnere refricando doloris auget acerbitatem.

Quam ſane acerbitatem, etſi omni ope lenitam in vobis, ac mitigatam cupio, video tamen, Cives, dum oculos circumjicio, novas quaſi vires in tam triſti ſilentio acquirentem, atque in me quoque ipſo neſcio qua via, ac ratione recrudeſcentem. Hinc ſi verum, quod ajunt, naturam ſentire in poſterum terribilia, vereor, Cives, in tantis terroribus, ac valde vereor, ne majus quidpiam nobis irati Superi calamitate tanta denuncient. Etenim venitne, Cives, in mentem quo tempore, quam importuno optimum ac beneficentiſſimum, atque afflictæ & proſtratæ, & jacentis, ſituque & ſqualore obſitæ Patriæ noſtræ amantiſſimum amiſerimus? Atque hic date, obſecro, Cives, veniam liberæ voci, date aliquid meæ adverſus Patriam caritati. Tanti enim hæc eſt apud me momenti cogitatio, ut luctui luctum, ſordes ſordibus, ſqualori ſqualorem addat. Nam, ut vetuſtiora prætere am, non jam unum, aut alterum, ſed triceſimum jam prope annum, non jurgiis modo ac litigiis, quæ & ſæpe neceſſitas intulit, & erunt donec homines; ſed trucibus inimicitiis, ſed diris quibuſdam, atque atrociſſimis bellis qua externis, qua Civilibus Vrbs noſtra concutitur; eoque demum deducta res eſt, ut conſuetudine ipſa, male nata iſta rixandi libido, veluti alimentum quoddam virulentum ac peſtilens, in ſtomachum immiſſa primo, ac deinde in ſuccum ſanguinemque converſa, ita artus Civitatis omnes ac viſcera nedum capita ipſa vexat atque exagitat, ut non jam

am-

amplius pugnandi necessitas, aut libido, sed veluti rabies quædam, & plusquam barbara atque efferata immanitas regnare videatur. Hæc, ut nostis omnes, & maximo quidem cum gemitu norunt boni, Civitatem nostram, illecebris omnium rerum, ac lascivientis Fortunæ favore, sponte jam sua in interitum pronam, atque præcipitem ita labefactavit, Cives, ut nedum gloria illa antiquæ fidei, pietatis, comitatis, candoris, morum elegantiæ, civilisque convictus, industriæ ac virtutis, queis finitimos populos sine controversia superabamus, plane obsoleverit, extinctaque sit; sed vix humanitatis vestigia reliqua appareant; Vosque ipsi in spectro ac larva ista virtutis, opum, morum, virtutem, opes, moresque vestros; in cadavere isto Vrbis Vrbem vestram requiratis. In novissima vero ista, quam nuper inter vos, eo adhuc vivente, suscepistis, contentione (nominare piget, ac pudet etiam) contentione, inquam, vere funebri atque exitiabili, quam odiis potius quam viribus, furore potius quam ingenio, temeritate potius ac partium studio abrepti, quam consilio & maturitate suscepistis, nisi aliquis tamquam e machina Deus prospexerit, quis est qui non videat, Civitati nostræ non ita pridem felici ac florentissimæ ultimam cladem atque excidium imminere? Verum & in ultima hac rerum & temporum fœda ac detestanda conditione, & in cæteris omnibus, quæ Vrbem hanc nostram afflixerunt, malis, quemadmodum ille se gesserit, quemadmodum condoluerit infirmitatibus omnium, quemadmodum exemplo suo, & vita integerrime, patientissime, beneficentissime acta præluxerit, rectius ipsi vos reputa-

ta-

taveritis, quam ego viribus jam & voce ipsa destitutus expressero. Quid si in tanta, ac tam diuturna rerum omnium confusione, in tanta ac tam obfirmata animorum contentione, non omnibus, quantum ingenia ferrent, prospexisset? quid si privatas injurias ulcisci ac persequi voluisset, si turbas turbis, faces facibus addidisset, quo nunc loco essent res vestræ? Quid vero si despicatui jam diu habitus criminum inspector, & ultor Deus, ejusmodi ad vos mittat Episcopum, qui effræni isti licentiæ vim, robur, & igniculos addens, ac pro pastore lupum agens, vel incogitantibus vobis efficiat, ut cujus viri, ac præsentis exempla & monita neglexistis, extincti atque absentis jacturam in longam ætatem comploretis? Quæ cogitatio ita me commovet atque perterret, ita conficit atque excruciat, ut vocem pene ipsam, ac spiritum intercludat. Quamobrem cum sapientis Medici sit mala potius præcavere, ne adveniant, quam cum advenerint, curare, rogo obtestorque vos, Cives, eam quæ in vestris est manibus medicinam morbo huic longe teterrimo, & heu! nimis diu grassanti, erecti atque alacres tandem afferte. Atque ita existimate, Fabricium Antonium, uti dum vixit, vobis potius rebusque vestris, quam sibi vixit, ita nunc Cœlo receptum vestri curam non abjecisse, atque e beata illa justorum Sede sic leniter amanterque vos compellare. Itane, filii, me adhuc mortuo, novis semper odiis in mutuam perniciem concurritis? Itane Pastoris vestri, ac Parentis, cujus vivi exempla & monita non profuere, ut pax inter vos coalesceret, neque preces proderunt Cœlo demissæ, neque

vox

vox proderit e beata isthac regione descendens? Cur funeri meo dolentes ac mœsti assedistis primum, cur funus hodie tristes lacrymantesque renovatis, si ne defuncti quidem, pro vobis, ut in omni vita, solliciti, & fausta omnia e Cœlo precantis, vocem auditis? Ego ut pacem haberetis, bella sustinui, ego ut fortunas vestras sustentarem, domesticas neglexi, atque profudi: ego ut mores componeretis, ut virtutem coleretis, exemplo præivi: qui pastor fui, gregem pavi, utque in me verum pastorem ac patrem agnosceretis, vobis semper vixi, non mihi. Ponite jurgia, filii, ponite odia, turbas ponite; Dei mandatis parete, liberis vestris, conjugibus, domibus, seris quoque nepotibus, Patriæ demum vestræ, opem vestram non poscenti modo, sed expansis etiam ulnis flagitanti, pace tandem parta, consulite. Aut si bella mavultis, cupiditatibus, non honestati, vitiis, non virtuti, flagitiis, non pietati, iræ, furori, violentiæ, non sobrietati, non temperantiæ, non sapientiæ bellum indicite. Vincat inter vos, filii, tandem aliquando pacis amor, jaceat, atque exulet immanis ista ac barbara, quæ urbes ac Regna nullo non tempore laceravit, pessumdeditque discordia: regnet ratio, vincat ac regnet, quæ beatas efficit civitates, sincera in Deum pietas, & civilis cura concordiæ. Quæ si præstiteritis, Cives, fiet profecto, ut Deo primum propitio reddito, is propediem vobis contingat Episcopus, qui pietate in superos excellens, iisque animi dotibus, quas in amisso Pontifice desideratis, & septimum jam diem lugetis, instructus, jacturam tantam reparare, mœrorem tantum, tam gravem, tam acerbum, tam ominosum aliqua ex parte levare possit. Dixi.

